

6.  
AD

# MINERALOGIAM FENNICAM

MOMENTA,

QUORUM PART. PRIMAM

ANALYSES COMPLECTENTEM ALBITI SKOGBOELENSIS  
*et STEATITÆ CRYSTALLINI*

VENIA AMPLISS. ORD. PHILOS. UNIV. AEOËNSIS  
PRÆSIDE

MAG. PETRO ADOLPHO VON BONSDORFF,

*Chemiae Professore Publ. et Ord. design. Societatis Imperialis Mineralogicae Petropolitanae Membro Ord. Societ. Philomatica et Societ. Histor. Natural. Parisiensem, nec non Societ. Naturae Studios. Senkenberg. Francofurti ad Mainum Membro corrsp. atque Societ. Imp. Pharmaceut. Petropol. Membro Honorario.*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS  
PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR

FREDERICUS TENGSTRÖM,  
*Ostrobothniensis.*

In Auditorio Philos. die 25 Junii MDCCCXXIII.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Vix in ulla scientia tam brevi temporis intervallo tot tam diversæ indolis systemata in lucem prodierunt, quot in mineralogia decenniis proxime præterlapsi. Plurima tamen eorum, si uno respectu commoda quædam præbeant, alio tamen suis quæque laborare videntur vitiis. Hæc vero systemata scientifica mineralogica in duas classes nobis judicibus possunt distingui, illis scilicet quæ fundamentis Chemicis sunt exstructa ad unam, illis vero, quorum autores Chemicam compositionem Mineralium ut rem minus necessariam contemplant, vel etiam ex orbe systematis mineralogici plane exstrudunt, ad alteram classem relatis. Nonne fautores systematum Mineralogicorum classis posterioris adminiculum finemque plane confundunt? Nonne sistema scientificum mineralogicum adminiculum est, memoriam sublevandi causa delineatum, norma quam sequi debemus, quo ad cognitionem indolis atque naturæ fossilium perveniamus? Si vero concedamus (quod quisque in Chemicis vel levissima cognitione tinctus concedere coactus est), naturam et proprietates corporum anorganicorum præcipue spectandas, ex qualitatibus eorum Chemicis dependere, facile causam inveniemus, cur sistema scientificum mineralogicum Chemicis innixum fundamentis, omnibus aliis systematibus,

A

---

quacunque alia theoria fundatis, est anteponendum. Inter omnia vero systemata mineralogica scientifica chemicis fundamentis construta, non dubitamus systemati sic dicto Electrochemico palmam tradere, cum ingenio scilicet et natura Chemiae hodiernae maxime congruenti.

Quum vero dispositio mineralium secundum systema laudatum, non nisi adjuvantibus pluribus ad fidem perduci possit, in animum induximus analysi et investigatione fossilium quorundam pro modulo virium ad scopum communem aliquid conferre. Ut vero Geologorum et Mineralogorum in genere haud parum interesse debet tetum cognoscere orbem, commune omnium habitaculum, ita eiusvis in primis magni refert, natalis soli et eorum quæ ad illud pertineant sibi comparare cognitionem. Eam ob causam materiam disquisitionis hujus e patria terra sumtam potissimum elegimus, præsertim cum per pauca mineralium Ferricorum analysi Chemicæ hucusque fuerint subjecta, ansaque sit sperandi, mineralia ignota adhuc in posterum esse invenienda, in terris, quarum Geognosia tam parum est exulta. Te vero Benevole Lector, omni qua par est verborum honore et observantia compellant, digneris ea, quæ parum digesta oculis Tuis subjiciantur, æqua ponderare lance, ad disquisitiones nobis propositas nosmet conferimus.

---

## I.

## ALBITUS SKOGBOELENSIS.

Jam per aliquod tempus, fossile quoddam ad Finbo prope fodenam cupri Fahlunensem repertum, a Mineralogis ad Feltsphatum referebatur, licet fractura ejusdem fossilis incurvata, differentiam quandam a Feltspatho vulgari sistere videbatur. Cito vero analysis etiam Chemica illam differentiam suspicatam affirmavit, certumque reddidit natrum loco potassæ, quæ pars est Feltspathi vulgaris, in compositione fossilis illius Finboënsis ingredi. Diversis deinde in locis rarius tamen Albiti sunt inventi. Sic etiam in Finlandia fossile, quod ad fracturam attinet Albito simillimum Finboënsi, jam diu cognitum a) et serius Albiti nomine insignitum erat b), etiamsi compositio ejus chemica nondum fuerit investigata. Hanc ob causam etiam analysis ejus periculum fecimus.

Invenitur Albitus hicce in Parœcia Finladie australis Kimito ad prædium equestre Skogböhle, ubi cum quarzo et mica hemisphærica coactus, stratum constituit speciei graniti, in quo Tantaliti duæ varietates rarius inveniuntur c).

## A 2

- 
- a) Vide Dissertat. Inledning till Mineral-Historien öfver Åbo Läns Södra del, under Pehr A. Gadd's inseende försvarad af J. Gumerus, pag. 24.
  - b) Bidrag till närmare kändedom af Finlands Mineralier och Geognosi af Nils Nordenskjöld.
  - c) Qui de Geognostico situ horum mineralium prolixiorē desiderant cognitionem videant Bidrag till närmare kändedom af Finlands Mineralier och Geognosie, pag. 1. seqq.

*Color* ejus rubicundus, carnis colori fere similis, sed tamen dilutior.

*Duritie* Albito Finboënsi fere æqualis. Chalybi allisus scintillas haud difficile emittit.

*Fraætura.* Malleo contusus in frustula dissilit, quæ acutis gaudent marginibus, sed forma earent determinata. Fraætura una saltem in direccione nitore gaudet insigni, in aliis nitoris fere est cerei. Meatus lamellarum difficiles sunt qui determinentur, unus tamen valde est conspicuus, et superficiem præbet magis minusve curvatum et fere radiatum. Radii videntur vel paralelli vel sæpius divergentes et in scopulas quasi conjuncti.

*Pulvis* albidus, in rubrum tantillum vergens.

Marginibus tantum est transparens.

*Gravitatem Specificam* invenimus 2,618. (Secondum Nob. Nordenskjöld 2,609).

Frustulum flammæ tubi ferruminatorii ope excitatæ admotum aliquantulum pailescit; in igne vero ardentissimo liquescit, vitrum formans coloris expers.

Cum Borace in vitrum abit coloris expers, post refrigerationem adhuc pellucidum.

In Sæle Phosphorico difficulter solvitur, vitrum exhibens coloris expers, post refrigerationem vero opacum.

### *Analysis Chemica.*

A. Frustula a mica et quarzo adhærentibus perfede liberata, in mortario acathino, terendo et

lavando in subtilissimum redigebantur pulverem. Hujus pulveris, in calore moderato arefacti, 2,10 gramm. cum quadruplici carbonatis kalici portione in vase platineo exactissime commiscebantur et per unam horam igne carenti ustulabantur. Massa ustione liquefacta, subviridis, in acido hydrochlorico, aqua mixto, solvebatur, liquidumque acidum, lento adhibito calore, ad siccitatem evaporabatur. Massa salina, acido hydrochlorico aliquantulum diluto humectata, in calore digerebatur, et aqua deinde uberior adita, pura restabat silica in aqua acida non soluta. In filtro collecta, probe elota, exsiccata et ignita, ponderis erat gramm. 1,405, et flamme tubi ferruminatorii exposita cum Soda vitrum dabat pellucidum, coloris perfide expers; quibus characteribus silica pura dignoscitur.

B. E liquido a silica separato, ammoniacum additum præcipitatum dejicit albidum, aluminam maxima ex parte continens, quod in filtro aqua fervida rite elotum, madidumque adhuc in vas argenteum positum, cum lixivio hydratis kalici coquebatur. Hæc operatio, addita nova hydratis kalici portione, tamdiu persequebatur, donec præcipitatum, quod guttula solutionis hydrochloratis ammonici lixivio addita efficiebat, in lixivio iterum evanesceret. Liquidum alkalinum a parte in eo non soluta colando secernebatur, et acido hydrochlorico præcipitabatur. Præcipitatum dejectum in acido excedente iterum solvebatur et ammoniaco ad neutralisationem fere addito, carbonate eiusdem alkali præcipitabatur. Præcipitatum aluminae exafle lavatum, siccatum et ignitum pondere æquivalebat gramm. 0,410.

C. Pulverem post coctionem cum hydrate kalico non solutum remanentem, in acido nitro hydrochlorico solvere conati sumus; portiuncula vero vi acidorum restitit, quæ in filtro collecta et ignita pondere æquavit 0,004, silicamque fere puram, ad flammam tubi ferruminatorii examinata indicavit.

D. Liquor acidus a portiuncula illa silicæ (C) separatus coquebatur, quo perfide oxidaretur ferrum. Solutionem vero acidam ammoniaco, oxidi ferri separandi caussa, saturare conantes, observavimus aluminae exiguum quantitatem in solutione adhuc adesse. Carbonate igitur ammonico addito, præcipitatum dejiciebatur, quod separatum, in acido hydrochlorico solvebatur. Solutioni hydroskalicus uberius addebat, donec tota aluminae illius, inde præcipitatæ, quantitas in lixivio iterum esset soluta. E lixivio hoc a pulvere non solubili separato, acidi hydrochlorici et carbonatis ammonici ope alumina dejiciebatur, quæ post ustionem 0,010 Gramm. pondere efficiebat. Hac aluminae portiuncula ei addita, quæ in B obtinebatur, quantitatem hacten sumus 0,420 gramm., quæ digesta cum acido sulphurico, aqua diluto, silicam ponderis 0,008 Gramm., connubium acidi detrectantem, non solutam reliquit. Solutio acida a silica sejuncta, cum potassa mixta, alumen cristallisatum præbuit. Si vero quantitas silicæ 0,008 gramm. a tota illa quantitate 0,420 gr. subtrahatur, 0,412 gramm. restant, quæ totam aluminae quantitatem indicant.

E. Præcipitatum (D) ab hydrate kalico non solutum et ex oxido ferrico constans, in filtro collectum et ignitum 0,005 gramm. tantum efficiebat. Ad oxidi ferrici quantitatem accurate determinandam,

necessarium quidem fuisset, in acido hydrochlorico iterum solvere præcipitatum, solutionem ammoniaco neutralisare, et benzoate vel succinate ejusdem alkali oxidum dejicere. Parvam vero ferri quantitatem considerantes, molestam hanc operationem sine magno vitio negligere nos posse judicavimus.

F. Liquidum, post præcipitationem aluminæ et oxidi ferri, carbonatis ammonici ope in D factam, fervidum cum solutione carbonatis kalici tamdiu immiscebatur, donec sales liquidum efficientes decompositi essent. Decidit præcipitatum carbonatis manganici, quod ignitum 0,010 Gramm. efficiebat oxidi manganici silica inquinati.

G. Solutioni, post præcipitationem ammoniaci ope in B peractam, oxalatem instillavimus ammonium, qui post digestionem calidam duarum horarum turbationem effecit. Dejectus oxalas calcicæ in filtro collectus, lentoque admodum calore ustulatus, ut in carbonatæ calcicæ mutaretur, pondere 0,012 gramm. æquavit. Addita solutione carbonatis ammonici et ad siccitatem evaporata, nullam ponderis mutationem perspicere potuimus. 0,012 vero gramm. carbonatis calcicæ 0,007 gramm. calcis puræ efficiunt.

H. Liquor in G. residuus, per filtrum trajectus, in vase platineo coquebatur et solutio servida carbonatis kalici addebatur, donec omnis hydrochloras erat decompositus. Præcipitatum inde exortum in filtro colliebatur, lixiviumque per filtrum trajectum ad siccitatem evaporabatur. Quæ in aqua addita non solvebantur particulæ in eodem filtre colliebantur. Totum ita acceptum præcipitatum,

ignitum pondere 0,020 gramm. efficiebat et cum acido sulphurico tractatum silicæ non solutæ 0,012 gramm. reliquit. Solutio separata, ad siccitatem evapora-ta et ignita, gypsum exhibuit ponderis 0,020 gr., terræ calcis 0,008 gramm. continens; nullum vero Magnesia deteximus vestigium.

Per experimenta jamjam allata, partes constitutivas albiti obtinuimus e Gramm. 2,10:

Silicæ A . . .	1,405
C . . .	0,004
D . . .	0,008
H . . .	0,012
	<hr/>
	1,429
Aluminæ . . .	0,412
Calcis (G) (H) .	0,015
Oxidi ferri . . .	0,005
Oxidi Manganici	0,010
Defectus . . .	<hr/> 0,233
	<hr/> 2,100

Permagnus hic defectus certiores nos reddidit alkali quoddam partem constitutivam esse, quod suspicandi ipsius fossilis externus habitus ansam nobis jam præbuerat. Quo igitur natura et quantitas ejus innotesceret, ad novum tentamen recurre-re necessarium fuit. Hanc vero scrutinationem sequenti modo instituimus.

A. Frustula exakte depurata, in mortario Acathino, terendo et lavando, ad subtilissimum redigebantur pollinem. Hujus pollinis, lento admodum calore siccatis, 1,852 Gramm. cum quincuplici fere carbonatis barytici quantitate, in tigillo pla-

tineo exæste commixta, per unam et dimidiam horam igne candescente urebantur. Massam per unctionem haud liquefactam in acido hydrochlorico, digestione calida adhibita solvi fecimus, solutionemque ad siccitatem evaporando redigimus. Massa salina acido hydrochlorico humectabatur, cui post aliquot horas aqua adsundebatur, quæ post digestionem, omni saline soluto, silicam tantummodo reliquit. Hæc in charta bibola diligenter elota, siccata et ignita pondere æquavit 1,301 gramm.

B. In liquidum a silica separatum, acidum infundebatur sulphuricum, distillatum ultra neutra. lisationem, quod sulphatē baryticum in fundum dejicit. Sulphas baryticus in filtro, aqua fervida exactissime eluebatur.

C. Quo vero ab acido sulphurico liberaretur solutio, sulphasque alkalinus in hydrochloratē mutatur, hydrochloratis barytici solutio ei instillabatur, qua sulphas baryticus iterum iterumque præcipitabatur. Addebatur liquido deinde ammoniacum, tandemque carbonas ejusdem alkali. Præcipitatum inde exortum in filtro collectum probe eluebatur. Liquor trajectus ad siccitatem evaporabatur. Massa exsiccata in tigillo platino igni admovebatur, donec in vapores abiisset omnis hydrochloras ammonicus. Addebatur deinde aqua, in qua vero non soluta restabat portiuncula terreæ substantiæ: hac inde separata, liquidum ad siccitatem evaprabatur, salque aridus ignitus ponderabatur. Erat quidem nostrum propositum, naturam hydrochloratis obtenti, hydrochloratis platinici ope indagare, considerantes nempe, salem duplicem, qui e natrone et oxido platinico cum acido hydrochlorico fore

matur, in alcoole plane solubilem esse, cum e contrario sal ejusdem acidi cum oxido platinico et kali vix ac ne vix quidem in alcoole solvitur. Partem vero salis accepti examinantes, eamque in sulphatem, acidi sulphurici ope, transmutare conantes, præcipitatum sulphatis barytici accepimus, quod indicavit partem quandam barytæ in solutionem alkali continentem, sub operatione irrepsisse <sup>a)</sup>. A proposito igitur nostro, hydrochloratis platinici ope alkali determinandi cedere coadi fuimus, totumque salem alkalinum acido sulphurico tractare necessarium habuimus. Sulphate igitur barytico colando separato, solutio sejuncta ad siccitatem evaporabatur et igni candenti admovebatur. Sal neutrale formatum pondere æquivalens 0,472 gramm. et characteribus perfecte gaudebat sulphatis natrii; sal nempe facile aqua solvebatur, gustu haud amaro sed refrigerante quasi dignosebatur, et cristalli ampliores, in quas abiit, citissime in aëre fatiscebant. 0,472 vero sulphatis natrii gramm. 0,206 continent natri quantitatem; sive in pondere centenario 11,12.

Examine itaque ad finem perduo e centumpondio Albiti obtinuimus:

		continent oxygenium
Silicæ . . . .	67,99	34,20
Aluminæ . . . .	19,61	9,15
Calcis . . . .	0,66	. . . .
Oxidi ferri . . .	0,23	. . . .
Oxidi Manganici	0,47	. . . .
Natri . . . .	<u>11,12</u>	<u>2,84</u>
	<u>100,08</u>	

<sup>a)</sup> Præsentiam hujus barytæ inde explicamus, quod excedens acidum carbonicum, e carbonate ammonico separatum, portionculam hujus terræ solvisset. Conf. initium C.

Constitutionem Chemicam hujus fossilis contemplantes invenimus 11,12 natri partes 2,84 continere oxygenii partes, aluminæ vero 19,61 oxygenii 9,15 et silicæ 67,99 oxygenii 34,20 indicare. Quantitates oxygenii itaque in Natro, in Alumina et in Silica sese habent valde prope ac 1; 3; 12, oxygeniumque Silicæ triplex fere est quantitatis oxygenii aluminæ et natri. Unde formula Mineralogica, compositionem Chemicam hujus Albiti designans, secundum Methodum Cel. Dom. Berzelii erit  $NS^3 + 3AS^3$ , igiturque Albitus Skogboelensis compositione sua cum Albito Finboënsi bene congruit.

---

## II.

## ANALYSIS STEATITAE CRISTALLINI.

In parœcia Pargas ad fodinam calcaream prædii *Stor-gård*, steatites reperiebatur quidam, forma sua cristallina insignis, cuius analysis Nob. Dnus. Norden-skjold instituit. Deinde in montibus calcareis quibusdam Fennicis steatitæ, quoad formam cristallinam cum nominato fossili analogiam exhibentes, sunt inventi. Hic vero steatites cuius analysis instituimus, invenitur ad prædium officinæ vitriariæ *Ingeris*, ibique in fodina reperitur calcarea, unde in usum officinæ vitriariæ lapides franguntur calcarei. Lapis ipse calcareus albissimi est coloris et spathosæ texturæ.

*Color* Steatitæ griseo est virescens, maculis fusco rubris, ex oxido ferrico, ut videtur, mecanice commixto, ortum ducentibus, plus minusve inquinatus; et interdum etiam totum fere fossile eodem colore conspurcatum reperitur.

Malleo concisus, dissilet in frusta, quæ prismaticam affectant formam, et duo meatus lamellarum habere videntur; licet angulus, qui iis formatur, difficilis sit determinatu, non tamen multum angulum rectum excedere videtur.

*Transparentiam* in tenuissimis tantum marginibus ostendit.

*Nitor* parvus vel nullus fere est.

*Duritie* statiten vulgarem superat, ita ut durior sit gypso, cui tamen *Talcum vulgo* cedit.

*Pulvis* albidus in griseum parum vergens.

*Gravitas specifica* est 2,606.

Frustum flammæ tubi ferruminatorii admotum nigrescit, igne vero ardentissimo exandefactum iterum albidum fit: proprietate igitur illa vulgaris Talcorum gaudet, ut colorem in igne, ob portionem carbonis primum denudatam et deinde consumtam, permutet. Nullo modo liquefit.

Cum borace in vitrum abit pellucidum coloris expers. Nitrate kalico addito, nullo vitrum tingitur colore.

In sale phosphorico solvitur, massam exhibens albidum.

Nitras cobalticus cum pulvere lapideo exandefactus colorem praebet rubicundum, ideoque presentiam Magnesiae in compositione fossilis indicat.

### *Analysis Chemica.*

Tentamine jam antea instituto indagatum habuimus Steatiten nostrum Silicam et Magnesiam maxima ex parte continere, aluminam vero, oxidum ferri et oxidum manganeseum in parvis quantitatibus adesse; calcis vero ne vestigium quidem deteximus. Quæcum ita essent, analysin sequenti modo instituimus.

A. Frustula a lapide calcareo et substantia illa fusco rubra, mechanice adhaerente, depurata, sollicite eliebantur. Quoniam vero a lapide calcareo vi mechanica perfecte liberari non potuerunt, cum acido acetico, aqua diluto, frustula ulterius com-

minuta in calore digerebantur. Frustula hac operatione a carbonate calcis exadie purgata, in mortario calcedonico, tritura et lotura in minutissimum redigebantur pulverem. Hujus pulveris, ab aqua in modico calore liberati, 1,121 Gramm., cum triplici carbonatis kalici quantitate in vasculo platinico sollicite commixta, per unam horam igne candardi ustulabantur. Massam plane decompositam in acido hydrochlorico solvi fecimus, et solutione acida ad siccitatem evaporatione redacta, massa salina cum aqua acido hydrochlorico acuta digerebatur. Silica in aqua acida non soluta in filtro collecta probe eluebatur et siccabatur. Ignita vero ponderis erat 0,738 Gramm. et cum soda ad flammam tubi ferruminatorii vitrum exhibebat coloris expers.

B. Solutioni, percolatione a silica separatae, ammoniaco ad saturationem fere addito, carbonatem ejusdem alkali admiscuimus. Præcipitatum inde dejectum in filtrum sumebatur. Præcipitatum elotum madidum adhuc in vase argenteo cum lixivio coquebatur hydratis kalici. Lixivium a parte non soluta separatum acido præcipitabatur hydrochlorico, quod ulterius addebatur, donec omne dejectum in acore excedente iterum erat solutum. Alumina tandem carbonatis ammonici ope dejiciebatur. Præcipitatum elotum, siccatum et ignitum, pondere 0,009 gramm. æquivalebat, in flamma vero tubi ferruminatorii cum nitrate cobaltico exconditum, colore cæruleo insigne erat.

C. Pulvis vim hydratis kalici respuens, arefatus, aqua regis superfundebatur. Quæ vero insolubilis remansit perparva silicæ portiuncula a so-

lutione secernebatur; pondus vero ejus lancis ope vix designare potuimus.

D. Liquor acidus C coquebatur et ammonio sollicite ad neutralisationem redigebatur. Succinas ammonicus deinde additus præcipitatum deject succinatis ferrici, quod in filtro aqua frigida eluebatur. In vase platineo aperto succinatem ustulantes accepimus 0,007 gramm. oxidi ferrici.

E. Liquidum in B. carbonatis ammonici ope ab alumina et ferro liberatum in vase platineo ad ebullitionem calefecimus, et solutionem carbonatis kalici fervidam sensim addidimus, primo ad decompositionem hydrochloratis ammonici tantum, deinde vero uberior ad decompositionem hydrochloratis etiam magnesici. Præcipitatum carbonatis magnesici obtentum in filtro collectum probe eluebatur et aresfactum urebatur. Pondus magnesiae 0,326 gramm. æquavit. Lixivium percolatione a carbonate magnesico separatum et ad siccitatem evaporatione redactum, in aqua solvebatur; quæ vero non soluta restabat portiuncula, in filtro collecta, elota et ignita vix ac ne vix quidem lacentem afficiebat. Acidum Sulphuricum, aqua uberior dilutum et magnesiae superfusum, portiunculam oxidi manganici, cuius vero pondus exiguitatis causa ægre determinari potuit, non solutam reliquit. Liquidum vero acidum ad siccitatem evaporatum et in aqua solutum, sulphatem præbuit magnesicum crystallisatum.

F. Quantitatem vero partium fugitivarum investigandi causa, e tubo barometri retortam confecimus vitream perparvam cum recipiente ei apto, quorum pondus singulatim designabatur. In hanc

retortam 1,326 gramm. fossilis minutius contusi, acidi acetici ope jam antea a carbonate calcis forsan adhaerente liberati, immittebantur, et recipiente ei adaptato, flaminæ lucernæ spiritus vini retorta admovebatur. Operatione peracta, recipientem 0,030 gramm. incrementum, ex aqua superdistillata ortum, acquisivisse, retortam vero 0,036 gr. sive in centumpondio 2,71 amisisse comperimus. Frustula lidea tincta erant colore nigrescenti. In vas vero platineum opertum posita, et igne ardentissimo inter carbones excandefacta, ulterius 3,74 in centenario pondere amiserunt et colore inducebantur albido. Quænam vero sit illa pars constituens in altiore temperatura expulsa, difficilis admodum credimus esse examinis.

Per experimenta itaque jam allata ex centumpondio Steatitæ hujus obtinuimus:

		continent oxygenium
Silicæ . . .	63,95 . . .	32,16
Magnesii . . .	28,25 . . .	10,93
Aluminæ . . .	0,78 . . . .	
Oxidi ferri . .	0,60 . . . .	
Oxidi manganici — . . . .		
Aquæ . . .	2,71 . . .	2,39
Partium aliarum volatilium . .	<u>3,74 . . . .</u>	
		100,03

In hoc fossili magnesia quantitate oxygenii gaudet, quæ quadruplex fere est quantitatis oxygenii in aqua, silica vero magnesii triplicem oxygenii quantitatem continent; unde formula compositionem chemicam hujus steatitæ exprimens signis dari potest  $4 MS^3 + Aq.$  vel  $MS^3 + \frac{1}{3} Aq.$

---